

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

In Nuptias

M. ABRAMA-
MI THEOPOLDI,
Ecclesiastæ Floremontani,

&

ELISABE-
THAE STAPPER,
VENNIÆ, Dn. Joh. Stapperven.
nii, p. m. pastoris Begensis,
FILIAE.

d. 22. Junii, anno 1617. Blombergæ
celebrandas

EPITHALAMIA.



170.

153

Lasselle

142.

130
Lassalle
185

In Scriptis

M. A. B. R. A. H. A.

M. I. T. H. E. O. P. O. L. I.

Ecclésiasticae Formosanae

F. L. I. S. A. B. E.

T. H. A. E. T. A. P. P. E. R.

NEWMAN, Dr. Joh. Baptist

in scriptis

1851

In scriptis, anno 1851, Blomberg

ecclésiasticae

F. L. I. S. A. B. A.

1851





Am vetus exactis duodenis mensibus annus
Cesserat, & solitum Sol repetebat iter;
Cum mea curarum sævis mens acta procellis,
Sollicitum traheret forte aliquando finem,
Spemq; metumq; inter dubio, quem deniq; diem,
Provida sint curis fata data meis;

Abs te missa mihi longinquis venit ab oris
Littera, vel solo nomine grata tuo.
Hanc ubi perlegi, curis THEOPOLDE, solutis,
Ito procul, dixi, jam procul ito metus,
Hæc mihi tristitiæ discussit epistola nubem,
Tot bona et hæc uno pertulit una die,
Dispeream, si vana loquor! te pectoris æstu
Namq; amo, teq; fide non simulante colo.
Et colui, primis dum nos conjunxit ab annis
Arctior inter nos sanguinis ille satus,
Ex quo nascentes unus fere junxit & idem
Annus, & unisonum nomen utriq; dedit,
Quid loquar unanimes puerili tempore sensus,
Singula quid nostri fœderis acta feram?
Nos studium servavit idem, nos una voluntas,
Una fides, gemini pectoris unus amor,
Corpora diversas fors ire coëgit in oras,
Mens eadem præsens semper utriq; fuit,
Et quamvis bini disjuncto in corpore simus,
Passa tamen nunquam mens fuit esse duos,
Quin de te quoties mihi dixit gaudia rumor,
Cognita vel digitis littera scripta tuis.
Gaudia tam sancto me corripuere furore,
Ceu meus ipsius tunc ageretur honos.
Vera loquor, Cum te CATTI dixere MAGISTRUM,
Mox ego, quantumvis mente, magister eram.
Post ubi suscepit juvenes HAMMON docentem,
Credebam juvenes meq; docere rudes.

A 2

Nune

Nunc quoq; FLORIBERI per tempe FLORIDA montis,
Plurima cum Christi pascua carpat ovis,
Te monstrante vias ad prata salubria verbi;
Et me pastorem protinus esse reor.
Quid? quod & accipiens te dio munere sponsum,
Me sponsum, vestri raptus amore, putem.
Sic te depereo, tam sancto pectoris igne
Ardeo te, cordis cor, THEOPOLDE, mei!
Nulla tuæ laudis pars tam concisa feratur,
Quæ mihi non magnum sit peritura decus:
Atq; adeo, ceu fata ipsi mihi dona tot & tot
Donassent, credam ductus amore tui.
Necdum fata mihi tamen ipsi dona tot & tot
Donarunt, necdum tantus honore feror!
Esse quid ergo rear causæ, quod pectore iunctos
Dispare fortuna nos DEUS esse velit?
Aut mihi nascenti malè favit sidus iniquum,
(Talibus in curis mens mea sæpe fuit.)
Aut DEUS in serum servans mea commoda tempus,
Hæc mihi cuncta loco commodiore dabit.
Pendulus an dubitem? nunquam confusa recedet
(Stat mihi certa fides) spes bene fisa DEO:
Ille dabit, rerum qui solus flectit habenas,
Forsthan & pueros posse docere rudes.
Idem forte suum dabit erudiisse popellum
Divini eloquii posse magisterio.
Et mihi præstanti jungens virtute puellam,
Tempore quo visum, remq; laremq; dabit.
O utinam, quos sancta fides, quos junxit & ardor,
Sic eadem iunctos fors aliquando sinat!
Quò feror? ecce tuæ mea quò mens æmula fortis
Me trahit, abreptum sortis amore tuæ?
Jam pietas, jam nostra fides, utrinq; probata,
Gratari thalamo jusserat ecce novo.

Et pie-

Et pietas & sancta fides bona dicere verba,
Plaudere solemni iusserat ecce die,
Quò ferar ergo? tuæ num jam præconia laudis
Ordiam, aut laudes laudibus accumulæ?
Non mihi mens elegis tua condere dona minutis,
Dona per heroes nobilitanda pedes,
Nec suadebit eam veneranda modestia laudem,
Sordeat ista aliis, sordeat ista tibi.
Quò ferar ergo? tuæ num pangens munera nymphæ,
Coner in illius versibus ire decus?
Non ea nota mihi est: & quamvis esse decoram,
Esse piam, esse probam fama, bonamq; ferat;
Attamen ut tantas valeam comprehendere dotes
Carminè, jam sterilis Musa negavit opem.
Quò ferar ergo? tuas quo cantem nomine tædas,
Netibi, ne desim forsitan ipse mihi?
Vota feram, votis adoriri numina certum est,
Adspirant votis numina sponte piis.
Vota valent, eadem præstant vel mille Camænis,
Plusq; juvant nuptos vota precesq; novos.
Ergo sancte **D E U S**, pater & largitor honorum,
A quo terrigenis provenit omne decus.
Qui mihi dimidium cordis tot honoribus implet,
Et bona das Pyladi tot, **D E U S** alme, meo
Da quoq; connubii quod sancit amabile fedus,
Sidere felici sanciat, alme **D E U S**.
Casta torum subeat conjux, & pectore casto
Diligat adductum sponsa futura virum,
Thariaden qualis complexa est Sara maritum,
Qualis & Abramiden casta Rebecca suum,
Isaciden qualis per tot discrimina vitæ
Fovit abundantis dulcis amore Rahel.
Non hos inter Eris, non serpat Erynnios æstrum,
Mutua pax concors pæctus utrumq; regat.

Curarum malé—sana lues à limine cedat,
Excipiat nuptos res bene læta novos.
Res bene læta ambos foveat, res lætior ambos
Augeat, innumeris afficiatq; bonis,
Deniq; summe parens, fac ut conatibus æquis
Sponsus uterq; sui nominis omen agat.
Impleat ille sui mensuram nominis apté,
Æquet item pondus nominis illa sui.
Da pater, alme pater, da quod te cumq; rogamus,
Blanda sit ut requies ELISABETHA viri,
Fiat at ipse parens numerosæ gentis Abraam,
Grandia Mathusalæ secula vatis agens.
Vota precesq; valent, summo DEUS æthere vota
Audiet, ac pondus faxit habere preces.
Ergo vale, & multos cum sponsa, sponse, per annos
Rem bene, ceu pietas suadet honesta, gere.
Finio: sed votis non finio: finio Musam,
Plura loquuturo Musa negabat opem.
Plura tibi sed vota feram, dum vita manebit;
Semper eris vitæ pars, THEOPOLDE, mea!

Amico suo cariss. ^{hno} συγκαίρων applaude-
bat Cothoniæ—Anhaltinorum.

Abraham Ulricus Serve,
sta—Anbaltinus.

Connu.

Omnubium toti numen venerabile mundo
Præcipit, æterno vult & honore coli:
Scilicet humani quoniam hinc suppullulat ævi
Quilibet, ac auctus incipit ordo suos:
Sanctius at quantò, quò relligiosius illud
Hoc mage sustinuit fraudem Acherontiacam.
Inde videre malæ tot passim est semina vitæ,
Tot passim cædes & numerare truces,
Nec tamen effugiunt multas in fine cruentas,
Ausi hoc qui factis dedecorare suis.
Quin, thalamo quotquot faciunt reverenter hono.
Præmia conatu digna tulere suo: (res,
Macte igitur THEOPOLDE exemplo voceq; tædam
Asseris: asseret hinc te quoq; cura DEI,
Quare vota fero gratantia pectore & ore,
Omnia stent votis ut, moderante DEO;
Turturibus similes vivatis Nestoris annos,
Non sine prole sit, at sit sine lite torus.

Christianus Pulzius Penicensis
Misnicus.

VO.

V O T U M

Nuptiale.

ET meritò, cum sim frater, tibi grator honores,
Frater, & ad tædas affero vota tuas:
Numine divino tibi jungitur ecce puella,
Moribus egregiis prædita, virgo nitens.
Hæc ut pacificos tecum bona transigat annos,
Et te corde virum non simulante colat;
Comprecor ex animo: Deus addat plura petitis,
Qui det Neïtoreos vos superare dies.

Conradus Theopoldus Servestanus
Sponsi Germanus.



№ 1996.

8

U

ULB Halle 3
 002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!


28 a / 50 / 1996 /

U 8 17

M

DX





B.I.G.

Farbkarte #13

uptias
RAHA-
DOLDI,
loremontani,

ABE-
TAPPER.
Joh. Stapperven.
ris Begensis,
IÆ.

617. Blombergæ
andas

LAMIA.

1736.
153
Dasselbe
142.

